



Q. D. B. V

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
DE
P R E C I B V S
I N N O M I N E I E S V

AD LOCVM
IOANN. XVI, 23 — 30,
ILLVSTRANDVM

P R A E S I D E
CHRISTIANO FRIDER. BAVERO

SS. THEOL. D. ET PROF. ORD. ALVMNORVM
REGIO-ELECTORAL. EPHORO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA CONSEQUENDI
HONORES
AD DIEM XIV OCTOBR. c/o Icc XLIIX
IN AUDITORIO MAIORI

DEFENDET
AVCTOR

CHRISTIANVS SIGISM. GEORGIVS
PHILOL. HACTENVS PROF. PVBL. ORDIN. PHILOS.
ASSESSOR ET H. T. DECANVS NVNC VERO
DESIGNATVS SS. THEOL. PROF. ORDIN.
ET ALVMNOR. EPHORVS

VVITTEBERGAE
IMPRESSIT IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICHIVS



Non solum solatii plena est, Christianamque fidem confirmat, doctrina, qua iubemur a Sospitatore, ut in nomine ipsius, ad dexteram DEI exaltati, petamus, quandoquidem, si orare iussit, conuincimur, ipsum preces adamare, eas acceptas habiturum, et, prout promisit, quam certissime exauditurum, esse, nos contra obligari, ut eo diligentius, eoque ardentius, oremus, sed etiam summe necessaria est, quia preces sunt panacea illa, quae secundas res farta teatrasque seruant, in aduersis nobis perfugium ac solatium praebent; nos nostramque animam contra satanae insultus muniunt, et DEO nos gratos acceptosque reddunt, prout haec, et alia plura, momenta praesens Dissertatio, pericopae, *Io. XVI, 23 - 30*, extantis, occasione, illustrabit pluribus. Faxit summum Numen, ut omnia ipsius gloriae, et Ecclesiae aedificationi, bene uertant.

EVANG. DOM. V POST FEST. PASCH. ROGATE

S I V E

VOCEM IVCVNITATIS

Io. XVI, 23 — 30, EXTANS

V E R S U S 2 3 E T 2 4

23 Αμην, αμην, λέγω ὑμῖν, ὅτι, ὅσα ἔννοετο
συντε τὸν Πατέρα εἴ τῷ ὄνοματί μου, δώ-

24 σει ὑμῖν. Εως ἔστι οὐκ ἔτιθετε ὑδεν
εἰ τῷ ὄνοματί μου ἀπετίθετε, καὶ λύψεως,
διὰ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐ πεπληρωμένη.

Amen, amen, dico uobis, quod, quaecunque
petieritis Patrem in nomine meo, dabit
uobis, Usque ad nunc non petiatis quic-
quam in nomine meo. Petite, et acci-
pietis, ut gaudium uestrum impleatur.

E Σ Η Γ Η Σ Ι C

Aμην, αμην. — δώσει ὑμῖν. Profecto, profecto, siue, ueritatem, ueritatem
inquam, uid. ad n. 32 Euang. Domin. Aduent. II, dico ego θεόν Θραυστόν, qui
ueritas sum ipse, *Io. XIV, 6*, nec mentiri possum, *Num. XXIII, 19*, *i. Petr. II, 22*,
Hebr. VII, 26, et ideo omnia sunt infallibiliter uera, quae promitto nunc
uobis, meis amicis, *Io. XV, 14*, qui in me haetenus credidistis, *Io. VI, 69, XVI*,

A

27, 30^o

27, 30, et posthaec credituri estis, *Luc. XXII, 32*, quod certissime omnia ea, quo in primis dona cum administrantia, *Marc. XVI I, 17, 18*, *1 Cor. XII, 4, seqq.* tum lausificantia, referri posse, uidetur, quae cunque, *Io. XV, 7, 16*, imposterum, post meam feliciter ascensionem in coelos, petierit, Spiritus S. instans, quem in antecedentibus promiserat, conf. *Rom. II X, 26*, *1 Cor. XII, 3*, et fide *αινωνοτητω*, non tantum quae ad nos spectant, ut *AVGVSTINVS* statuit, sed et quae pro aliis petieritis, *1 Tim. II, 7, seqq.* *1 Io. V, 14, seqq.* *Iac. V, 15*, Patrem, i. e. DEVM triunum, (Sumitur enim vox *Πατρὸς*, h. l. non υποστατικός, sed ὀντιωδός, ut *Matth. VI, 9*, et alibi. Sicut enim opera ad extra sunt indiuisa, sic et cultus diuinus debet esse indiuisus, nec personae a se inuicem sunt separandae, quia ἐν τρεῖς ἐν εἷς, *Io. X, 30*, *1 Io. V, 7*. Id quod, *Io. XIV, 13*, innuit Sospitator, quando, se ipsum daturum esse, air, quicquid in nomine eius petierint. Ex quo relinquirunt, vocē *Πατρὸς* et reliquas personas SS. Trinitatis comprehendendi, conf. *Io. XIV, 9, 10*, hinc eo sensu Christus, *Ies. IX, 6*, dicitur aeternus Pater. Ne uero existimetur, ac si pro suo cuique lubitu et ingenii arbitrio petere licet, addidit uerum orandi modum, qui precum est anima, sine qua preces sunt nugae et vanae.) in nomine meo, siue per et propter nomen meum, h. e. ut ex uera fide in Christum mediatorem profiscantur preces, *Rom. I, 17*, *Hebr. XI, 6*, *Iac. V, 15*, et Christi merito atque intercessione innitantur, *Io. XIV, 6*, *XV, 5*, *Rom. II X, 34*, *1 Io. II, 2*, uid. plura in *Dissert. b. GODOFREDI OLEARII de adoratione Patris per Iesum Christum*, et *Celeb. WOLLII histor. invocationis DEI Patris in nomine Fili sui Messiae*, non autem iustitia humana, operibus, aut meritis, siue propriis, siue alienis Sanctorum, *Ies. LXIII, 16*, *LXIV, 6*, *Luc. XVII, 10*, cet. De his igitur, qui discipuli Christi sunt, h. e. credentes, et qui in eius nomine perunt, vox Christi, dabit uobis, est accipienda. Sola enim fides recte petit, h. e. ea, quae DEO placent, eique sunt gloriae, petenti uero saluti. Non ergo ad eos, qui non in nomine Christi perunt, vel male in nomine Christi pertunt, *Iac. IV, 3, r^o*, dabit uobis, referendum est. At enim uero, obiectum fuit dudum, qui fiat, ut experientia docuit olim, et docet quotidie, quod ne piis quidem, sanctissimisque ipsis Apostolis, datum fuit, quod petierunt. Videamus enim *S. Paulum* ter orantem frustra, ut satanæ angelus a se discederet, *2 Cor. XII, 7, seqq.* et responderetur, cum piorum petitiones sint duplicitis generis, aliae, quea pro obiecto habent gloriam DEI, et salutem, uel ipsius petentis, uel proximi cuiusdam, aliae, quea pro obiecto habent res humanas et felicitatem corporis, dispiciendum est, ad quodnam genus petitiones sint referendae, si ad illud, DEVS absolute dabit, sicut et credens absolute petit, et quodsi non statim det, hoc enim non promisit, dabit tamen, hoc enim promisit, prout hanc in rem recte scripsit *AVGVSTINVS*, *Tract. 73 in Ioh.* inqui-

inquiens, *Quædam quamuis in nomine Christi petamus, i.e. secundum Saluatorem et secundum Magistrum petamus, non tunc, quando petimus, facit, sed tamen facit.* Neque enim, quia et illud petimus, ut ueniat regnum DEI, propterea non facit, quod petimus, quia non statim cum illo in aeternitate regnamus. Differunt enim, quando petimus, non negatur, si ad hoc, petit credens pius cum conditione, si DEO sit gloriae sibique saluti, atque hoc pertinet exemplum Pauli, qui ipse u. 7 2 Cor. XII refert rationem, cur DEVS non dederit id, quod petierit, nimirum, *excellenta reuelationum ut ne efferar.* E quibus eluiscitur, quod, si DEVS annuisset precibus Pauli, ipsi non profuisset, sed noeuiasset. Quare verissima vox est AVGUSTINI, i.e. scribentis, *Christus Saluator est, non solum quando facit, quod petimus, uerum etiam quando non facit, quoniam, quod uidet peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Salvatorem.* Nuit enim medicus, quid pro sua, quid contra suam salutem, poscat aegrotus, et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Ut igitur caute, quia nescimus, quomodo orare nos oportet, Rom. IIX, 26, res humanae a DEO sunt exorandæ, nec regno DEI anterendæ, Matth. VI, 33, sic sentiendum non est cum ueritibus quibusdam, qui, indignum esse homine Christiano, existimarunt, si res temporales a DEO exorarent, quandoquidem tum mandata DEI reclamant, P. L. 15, Matth. VI, n, Iac. V, 14, 15, det. tum exempla sanctorum, qui exorarunt res temporeas et imperarunt, ut Mosis, Exod. XIV, 15, XV, 25, XVII, 4, seqq. Eliae, 1 Reg. XVII, 1, 20, coll. Iac. V, 17, Daudis, uid. eius Psalmi, Iosaphat, 2 Chron. XX, 3, seqq. Hiskiae, 2 Chron. XXXII, 20, seqq. Ies. XXXIX, 2, seqq. reliqua. Praeterea notetur, quod haec precum exauditus sit effectus abitus Christi et missionis Spiritus S. Ut enim hic sine illo non aduenisset, Io. XVI, 7, sic sine hoc non, prout decet, orare potuissent Discipuli, Rom. IIIX, 26, ideoque nec exaudiri. Cum itaque uere orare sit opus non labiorum tantum, sed cordis potissimum, Matth. XV, 8, Rom. X, 10, adeoque omnium difficultatum grauissimumque, quia caro et satanas resistunt, mentem alienando, aliena suggerendo, precesque hac ratione irritas faciendo, eos docet Dominus, ut consolationem inde capiant, Spiritum S. hanc difficultatem sua intercessione ablaturum esse, Rom. IIIX, 26, Gal. IV, 6, ipsosque, ut in omni ueritate, Io. XVI, 13, sic et in ueritate precandi, Io. IV, 23, instituturum esse, ut, quaeunque petierint, obtinere possint.

Εως ἀρι -- πεπληρωμένη. Usque ad nunc, i. e. hactenus, usque in hunc diem, quamdiu uobis uerbi conversatus sum praesens in statu exhortationis meae, nihil petiatis, uos, Apostoli mei, a Patre in nomine meo, h. e. non me expresse *βαθύθεων* ac mediatorum in precibus vestris inuocatis religiose, neque orasti, ut propter eruentum meum meritum, id enim illi nobilis lebant,

lebant, *Matth. XVI, 22*, DEVS uobis propitius sit, uosque exaudiat, cuius causa erat, quod Dominus, in statu exinanitionis constitutus, sese ad tempus abdicaverat maiestate diuina, et consequenter etiam honore inuocationis, *Phil. II, 7, seqq.* hinc nullibi Discipulis suis iniunxerat, nec prout facile facere potuisset, in Oratione Dominica, ut in nomine suo, quamdiu in statu erat exinanitionis *Θεάνθρωπος*, orarent, in praesentia uero rerum, cum mox e statu exinanitionis egressurus, et in statum exaltationis ingressurus, esset, ipsos praemoneret, quod quando in hoc statu constitutus fuerit, *in nomine suo*, siue per et propter meritum suum D E O essent supplicaturi, isque preces habiturus sit ratus, iuxta uersum antecedentem. Tali igitur modo nihil petuisse a D E O Apostoli dicuntur. Quamuis enim facile largiamur, illos D E VM orasse, V. T. credentium more, in nomine Domini, *Dan. IX, 17, seqq.* tum tamen temporis persona SS. Trinitatis secunda non considerabatur ut *ἐνσταυρος*, sed ut *ἀσταυρος*, et incarnanda. Idecirco illi petebant quidem in nomine Filii D E I, qui uenturus, et pro se satisfactorius, erat, sed h. l. petituri dicantur in nomine Christi, qui uenerat, satisficerat, et, qua humanam naturam, in persona τοῦ Λόγου subsistentem ad dexteram D E I exaltatus erat. Porro, Apostolos petuisse Dominum, uariis ex locis scimus, u. g. *Matth. IX, 25, Marc. X, 35, seqq. Luc. XI, 1, XVII, 1*, sed tamen haec petitiones ad Christum siebant, partim, qua ipsorum Dominus erat, ipsamque illi pro Rege, qui regnum Israeli sit instauratus, habebant, partim, qua eius munus Propheticum, non uero illae tales erant, quales descripsimus supra. Nullae ergo illarum petitionum luc referri possunt, et consequenter Dominicai asserti ueritas omnino est manifesta, quod *haecenus patrem nihil petterint in eius nomine*. Et hanc nostram sententiam, quod hoc loco ad officium Christi mediatorum sit respiciendum, dudum assertuerant uiri Sancti, *CYRILLVS, Lib. XI, c. 7, in Ioh. LVTHERV S Tom. VII Opp. Ien. Germ. p. 207, GERHARDVS in Harm. cit. cap. 179, p. 1573, CALOVIVS in Bibl. III.* ad h. l. aliisque, hoc tantum obseruato, quod statum illi exinanitionis, quem uoculae, *ἴως ἀρτι*, subinnuere uidentur, non attenderint, qui omnino hic communiscedens est, ut rationem asserti habeamus, cur Christus Apostolos non prius in nomine suo orare docuerit, cum tamen meritum eius ualeat antorsum et retrosum, et quae sunt reliqua. Varias ceterum huius loci nostri interpretationes, uel conigurations relictas, in quibus et illae inueniuntur, quas *Auctores Synops. Starck. apposuere, a b. GERHARDO, l. c. p. 1572, seqq.* congetuae, et simul ad examen reuocatae, uideantur. Status igitur sui mutationem Dominus ut his verbis edocere voluit suos, nimirum, sele, exinanitum *haecenus*, exaltatum iri, *Phil. II, 7, seqq.* sic eos adhortatos uult, ut exalta-

altatum sese religiose colant, et in nomine suo orent, *Phil. II, 10*, in primis, cum certiores ipsos iamiam fecerat in uersu anteced. quod, quaecunque petent, impetraturi essent. Quare, licet haec uerba ad perendum impellant unumquemque, et, quod petere debeat, admoneant, imo, cui exaudito promittitur, is ad petendum obligatur, tamen, cum Dominus corruptam seiret naturam hominis, quae, qua res spirituales experendas, est admodum de-
ses et negligens, eos expresse iubet, ut pertant, in verbis, *Petite igitur*, est enim uocula *οὐδὲ omissa*, in nomine meo, secundum uers. anteced. sit hic uobis unicus petendi modus, si uoti uultis fieri compotes, siue, ut Dominus expressit, *ut gaudium implatur*, qui enim uoti sui compos sit, is gaudio afficitur. Sed de hoc paulo post, hic saltē notare, et dictis Scripturae S. confirmare, licet, quod b. GERHARDVS, l. c. p. 1574, quinque collegerit ex mandato, *αἰτήσει*, momenta, quibus ad petendas res spirituales impellimur, (ad corporales enim a natura sumus proclives, et plus iusto incitamus,) quorum primum est *extremae naturae nostrae corruptio*, quae cum efficiat, quo minus prompti simus ad id experendum, quod saluti nobis est, et sponte faciendam erat, mandato excitamus ad petendum, conf. *Rom. VII, 14, seqq.* alterum est *necessitatis et indigentiae nostrae summae ratio*. Quia enim ubique calamitate et tentationibus sumus circumdati, ubique pericula et persecutio-nes nos manent, ubique insidiae nobis struuntur et scandala, ubique tandem carnis illecebrae et stimuli nos diuexant, utique orandum est in his angustiis omni tempore, *Luc. XIII, 1, XXI, 35*, *Rom. XII, 12*, *Eph. VI, 18*, *I Tim. I, 1, 2*. Anima enim, quae precibus munita non est, instar ciuitatis, muris non cinctae, facile in potestate et captiuitatem hostis, qui est satanas, redigi potest. Tertium est *exauditionis confirmatio*. Nisi enim DEVS ad pre-
cess exaudiendas esset promptus, eas a nobis non requireret, quapropter pre-
cantes non solum diuina promissione, sed et iussione, nituntur, *Pf. XXVII, 3*, *L, 15*, *Matth. VII, 7*, *XIIX, 19*, *XXI, 22*, *Marc. XI, 24*, *Io. XIV, 13*, *I Io. III, 22*, *V, 15*, *Iac. I, 6*. Quartum est, *necessaria petendorum enumeratio*. Quamuis enim DEVS nouerit, quibus indigeamus, antequam petimus, *Ies. LXV, 24*, *Matth. VI, 8*, et in quibus uersamur periculis, antequam, ut nos eripiat, clama-
mus, *Pf. CXXXIX, 2, seqq.* *Ies. XLIII, 2*, serio tamen ille uult, ut ipsi uera
fide et humanitate nostras calamitates et indigentiam exponamus, *Pf. L, 15*, *Iac. I, 6*, *V, 15*. Quintum est *orationis dignitas*, quia a DEO iussa, eidem-
que grata colendi ratio, est, qua, ut nos exaudiatur, alestur. Vnde est panacea, quae nobis omni tempore prodest, *Eph. VI, 18*, est omnium bonorum operum fundamentum, et virtutum Christianarum complexus. Perspicimus enim in orante fidem, quae orationis est anima, sine qua nihil ualerit, *Hebr. XI, 6*,

XI, 6, Rom. X, 4, Iac. I, 6, V, 15, spem, qua, quae DEVS promisit petentibus, speramus, eum praefliturum, equis enim oraret, nisi ea, quae perit, se impletaturum, speraret, Rom. V, 5, charitatem, tum erga DEVUM, quia eius mandatum facit is, qui orat, Io. XIV, 21, 23, tum erga se ipsum ac proximum, quia pro sua aequa, ac proximi, salute et felicitate orat, Ps. L, 15, Matb. VII, 7, Eph. VI, 18, 2 Tim. II, 1, 2, Iac. V, 15, obedientiam, quia, qui orat, obsequium praefstat eius mandato, 1 Sam. XV, 22, patientiam et perseverantiam, quia, cum non exemplo sequitur exauditor, patientia opus est, et perseverandum in orando, Ps. CXXX, 5, 6, Rom. XII, 12, Eph. VI, 18, Hebr. X, 35, 36, Iac. V, 7, 8, humilitatem, quia humili animo et reverentia ad DEI thronum gratiae appropinquamus, nostramque indigentiam, humiliantes nos, agnoscimus, Matb. VI, 6, Luc. XIII, 13, 14, 1 Petr. V, 5, 6, reconciliationem, quia salutis orans proximo delicta ignoscit, Matb. V, 23, 24, VI, 12, 14, 15, temperaniam, quia sobrietas ad series preces requiritur, Luc. XXI, 34, 36, 1 Petr. IV, 8, V, 8, prudenter, quia hac distinguunt illi, qui DEO in Spiritu ac veritate supplicant, Io IV, 24, res spirituales a temporalibus, illasque absolute, has vero cum conditione petunt, cognitionem tum DEI, quia precantes DEI omnipresentiam, iustitiam, misericordiam, gratiam, amorem, veritatem, omnipotentiam, sapientiam, cetera, practica ac uia notitia agnoscunt, Ps. V, 2, seqq. 8, Ier. IX, 24, Dan. IX, 16, seqq, tum sui ipsius, quia precantes agnoscunt, se non sua, sed Spiritus S. virtute, orare, Rom. III, 26, agnoscunt suos defectus, 2 Cor. III, 5, quos apud DEVUM, ne impudentur sibi, deprecantur, Ps. LI, 3, seqq. et quod iustitia propria sit nulla, Ies. LXIV, 6, gratitudinem, quia, dum pertinet nova beneficia, simul pro acceptis gratiam, laudando DEI benignitatem, testantur mentem, Ps. IX, 2, 3, 4, 12, XXX, 2, seqq. Hebr. XIII, 15, reliqua. Tanta igitur cum sit precum maiestas, utilitas, ac necessitas, equis non orarer, in primis, cum Dominus, se exauditurum uere precantes, promiserit gratiose, inquiens, petite ergo in nomine meo, et accipietis ea quam certissime, veritas enim mentiri non potest, Io. XIV, 6, quae petiisti, imo plura, 1 Reg. III, 11, seqq. Matb. VI, 33, licet non eo ipso momento, quo petiisti, hoc enim non promisit, opportuno tamen tempore, et nisi obex ponatur manu digni divinae, quod tum ab ipso patente fieri potest vario modo, quando auxilii Domini sit impatiens, tempus DEO praescribit, et quae sunt alia, tum ab eo, pro quo oratur, quando ille representat manu DEI largienti, u.g. quando Apostoli pro salute gentium DEVUM sollicitabantur earamque conuersione, hae uero Spiritus S. gratiae operanti resistebant, cetera. Conf. quae ad uersum anteced. diximus. Quodsi uero recte petieritis, nec impedimentum Patri daturo ponatur, tunc accipietis, opportuno tempore, ea, quae petiisti, ut gaudium uestrum impleatur. Conneclunt nonnulli haec uerba, praeeunte

AVGV-

AVGUSTINO, cum τῷ αἰτήσῃς, et voculam ἵνα accipiunt explicatus, ἐξηγητικός, quippe quae petitionis materiam indicet, quam alii cum dicto AVGUSTINO, in h. l. tum ad beatam uitam, quae futuri est seculi, tum ad gratiam diuinam in hac vita, referunt, alii uero cum BEDA Homili. in h. l. ad solam futurae gloriae beatitudinem referunt, scribente, Plenum gaudium beatitudinem perpetuae pacis appellat. Habent sancti etiam in praesente gaudium de spe coelestium bonorum, cum pro Domino terrenis excentur aduersis, habent gaudium, cum, amore fraternitatis suadente, discunt gaudere cum gaudientibus, sed non est plenum gaudium, quod sicut variante miscetur. Plenum quippe gaudium sit, ubi, nemine siente, cum solis datur gaudere gaudientibus. At itaque, petite, ut gaudium uestrum sit plenum et accipietis, b. e. non fluxi seculi gaudia, quae et moerore semper mixta, sed illud singulare gaudium a Patre petite, cuius plenitudo nullo cutulisibet inquietudinis attacitu minutur, aeternitas nullo uero quan tempore dissolutur. Nonnulli autem cum τῷ αἰτήσῃς, post MALDONATVM in h. l. haec verba coniungunt, sed ea lege, ut vocula ἵνα finem orationis, qui sit gaudium plenum, indicet. Nonnulli denique, haec uerba, praeanente CYRILLO, EVTHYMO, GERHARDO, in h. l. cum uerbo Λήψεθε, ut uoce proxima, et quia tunc, cum accipimus, gaudemus, cohaerere, aiunt, adeoque uoculam ἵνα accipiunt consecutiae et effectiue, siue εἰμβαθεῖσι. Nos, si ad totam propositionem, αἰτήσῃς καὶ λήψεθε, referatur, quis gaudium cum utroque cohaeret, MALDONATI et CYRILLI interpretationem admitti et coniungi posse, arbitramur. Ideo enim petimus, ut gaudeamus, et quando id, quod perimus, accipimus, tunc gaudemus actu, siue, ut Dominus loquitur, tunc impletur gaudium, h. e. tunc perftruimur gaudio reale, quod ante erat spei duntaxat. Quodsi uero, quae in sensu stricto huius sermonis cohaerentia sit, quae sive, respondemus, eam omnino esse, quam CYRILLVS aliisque propagnauere. Nam stricte si accipimus, gaudii impletio non a petitione, sed ab acceptance, immedie pender. Vbi notetur simul, quod interpretes plerique in eo errarint, quod distinctionem πεπληρωμένον ἡ adiectiue sumferint, et plenum, aut perfectum, sit, reddiderint, cum si participium praeferiri passivi, quod, cum praesens coniunctiui ἡ verbi εἰπι sibi adiectiue habeat, significatum praesensis coniunctiui induit, et uerendum est, impletatur, siue, ut Io. XV, u. scriptum est, καὶ ἡ χαρὰ ὑμῶν πληροῦθε, ut gaudium uestrum impletatur, Io. III, 29, ἀντὶ ἡ εἰπι χαρὰ πεπλήρωται. Conf. plures loci, nostro similes, Io. III, 29, VIII, 19, 23, et Io. I, 4, 2 Io. u. 12. Ut igitur sensus est, petite, et accipietis, pro uero desiderio, ut gaudium uestrum, quod petitione uestra obtinere speratis, impletatur actu, i. e. ut reple gaudio perfri, siue gaudere, possi.

possitis, quo ipso petitionis fructum et utilitatem docet Dominus, ita error **AVGVSTINI**, **BEDAE**, aliorumque est manifestus, quando dictio nē nostrā, ut supra uidimus, adiectiue, et pro materia orationis, voculam **να** autem **έξηγητικῶς**, accepere. Denique uidetur Dominus simul respexisse ad gaudium, paulo ante, uersu nimirum 20, promissum, hoc igitur ut impleretur in ipsis gaudium, quaeunque petere eos iuber, e quibus gaudium quadam enascatur. Ut enim petitionis obiecta, sive dona spiritualia, sunt varia, sic et gaudia, quando illa obtinemus, sunt varia, quorum nonnulla genera recensuit b. **GERHARDVS**, l.c. p. 1576, in uerbis, *Quinto respicit ad gaudiū ex precum exauditione uarietatem, cetera, quae ibidem uideantur.*

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

- I** Noli dubitare precans de exauditione, *Iac. I, 5, seqq.* sed confidenter crede, te, si uera fide et in nomine Iesu perieris, impenetratum esse, *Matib. XXI, 22, Marc. XI, 24, 1 Io. V, 14, Iac. I, 5, V, 15*. Dominus enim, qui ueritas est, *Io. XIV, 6*, hoc promisit, fidem suam interposuit, et sponsor factus est, *Matib. VII, 7, Io. XIV, 13, 14*, is mentiri non potest, *Num. XXIII, 19*.
- II** Expende humanae naturae ad res salutares tarditatem et repugnantiam, *Rom. VII, 18, seqq.* Ad preces, quae sponte erant fondenda, Dominus iussu nos impellere necesse habuit. Disce itaque ex Domini iussu, altera ex parte, precum utilitatem et necessitatem, quae in omni afflictionum genere nos iuvant, erigunt, DEV M ad auxiliandum mouent, et contra hostes spirituales muniunt, *Exod. XIV, 15, XV, 25, Ps. XIIIX, 7, LXI, 2, 3, CIX, 2, seqq. Ies. XXXVII, 15, seqq. XXXIX, 2, 5, 17, Eph. VI, 18, Iac. V, 6, coll. Eccl. XXXV, 20, 21*, ergo ad eas, tanquam ad portum confuge, nec langueſce, *Luc. XIII, 1, 7, Rom. XII, 12, Col. IV, 2, 1 Thess. V, 17*, altera uero ex parte precandi difficultatem, tum ob requisita, quibus precans instrutus esse debet, uid. ad u. 24 **έγνως**, tum ob repugnantiam carnis, *Rom. VII, 18, seqq.* et instinctum satanae, quo sanctas cogitationes aufert, et in eius locum alienas, easque peccaminosas, substituit.
- III** Ut precantibus DEV M ad promissiones et iussa eius prouocare licet, *Gen. XXXII, 9, seqq. Ps. XXVII, 8, Ps. L, 1*, sive et pro proximo orare, tum DEI iussu, tum sanctorum exemplis, obligamur, *Gen. XX, 7, seqq. Dan. IX, 16, seqq. 1 Tim. II, 1, seqq. reliqua.*
- IV** Fac, qui precom tuarum exauditionem desideras, ne tua, aut sanctorum, iustitia innixus, *Ies. LXIII, 16, LXIV, 6, Dan. IX, 18*, sed Domini iustitia ac misericordia confusus, *Dan. IX, 16, 18*, per et propter meritum Christi, ores, *Io. XIV, 13, 14, Eph. VI, 18, 1 Io. V, 14, Iac. V, 15*.

V Quam

V. Quam multi sunt, qui a Christo exaudiri volunt, nec ramen in eius nomine, i. e. per et propter eius meritum, preces fundunt. Nolite ergo, altera ex parte, demirari, aut de Christo conqueri, quando non exaudimini, qui de uobismet ipsis conqueri, et pudere uos, debetis, quod non recte petistis, Iac. IV, 3; altera vero ex parte recte petere discatis, et dabitur uobis, Matth. VII, 7, 1 Petr. III, 12.

VI. Quantum dedecus Christianum esse, nec in Christi nomine petere, Christianum esse, nec uere et saluifice, Christianorum more, petere! Si ergo haec tenus id factum non est, cursu, ut imposterum fiat, Conf. προσωπικόν anteced.

VII. Tua, o homo, si culpa, quando nihil eorum, quae cupis, accipis, quia aut nihil a DEO petis, aut, quae petis, non recte petis, conf. προσωπικόν V, non DEI culpa, huius enim vox est, petite, et accipietis.

VIII. Peruersum hominum genus! DEVIS pollicetur et monet, petite et accipietis, nec perimus. Homines denegant ac prohibent petitiones, nec saepe possunt, quae perimus, facere, 2 Reg. VI, 27, errare perimus 2 Reg. VI, 26.

IX. Si tunc demum gaudium, quod habemus concipi, impletur, quando id, quod desideramus, obtinemus, hoc uero a precibus pender, utique hinc gratiam Domini et φιλανθρωπίαν agnoscet, quod nos iussit petere, hinc uerorem gere Sospitatori, et pete in nomine eius.

VERSUS 25 ET 26

25 Ταῦτα ἐν παροιμίᾳ λελέγην υἱούν. Haec in similitudinibus locutus sum uobis, sed uenit hora, quando non amplius in similitudinibus loquar uobis,

26 ὑμῖν. Evēkētū τῇ ηὐερᾳ ἐν τῷ ὄντι μου αἰτήσεσθε· καὶ οὐ λέγω ὑμῖν, ἐτι ἐγὼ ἔρωτησο τὸν Πατέρα περὶ ὑμῶν.

sed libere de Patre annūciabo uobis. In illo tempore in nomine meo petetis, quare non dico uobis, quod ego rogarō Patrem pro uobis.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Taῦta ἐν παροιμίᾳ — αἰαγγελω υἱον. Haec, quae in hac ualedictoria mea oratione, a cap. XIII lib. initium faciente, de mea passione, morte, resurrectione, exaltatione, ceter. nec non de nostra cruce, tristitia, persecutio, et gaudio dixi, in παροιμίᾳ, i. e. metaphoris, allegorici, et sententiosis locutus sum dicendi generibus, qualia, praeter alia sunt, quando Saluator conferit, c. XIV, 2, coelum cum domo quadam amphissima, in qua multas dantur mansiones, uerbi, se ipsum cum uia, quae ad hanc domum ducit, n. 18, Apostolus cum

ori hanis, u. 16, et alibi, Spiritum S. cum adlocato, u. 10, 11, ἐμουσιαν SS. Trinitatis hoc modo exprimit, quod Filius in Patre, et Pater in Filio, sit, c. XV, 1, seqq. se ipsum cum uite, Parem coelestem cum uinitore, Apostolos et credentes cum palmitibus, opera fidei cum fructu, unionem mysticam cum communione palmitum et uitii, cap. XVI, 5, seqq. et alibi, passionem, mortem, et exaltationem suam cum abitu ad Patrem, u. 20, seqq. tristiam in gaudium conuer-tendam cum moestitia ac dolore parturientis et insequente post felicem par-tum gaudio, comparat, reliqui. Est enim παροιμία, auctore ARISTOTELI, μεταφορά ἀπ' εἰδούς ἐπὶ εἰδός, Rhetor. lib. III, c. XI, p. 717, A, Tom. II, scri-bente, Καὶ τὰ τοιάτα πάντα εἰκόνες εἰσὶν, αἱ δὲ εἰνικεὶς οὐτὶ μεταφορά, εἰ-ερταὶ πολλάκις· καὶ οἱ ΠΑΡΟΙΜΙΑΙ μεταφορά ἀπ' εἰδούς ἐπὶ εἰδός εἰσι. Et talia omnia, paulo ante recensita similitudinum exempla, imagines sunt, ima-gines autem quid metaphorae sint, dictum est saepe, paroimiae igitur metaphorae sunt a specie ad speciem. Non igitur παροιμία proprie est proverbiū, sive adagium, obscuritatem aliquam involvens, ut post alias b. GERHARDVS, l.c. p. 1578, b. existimauit. Quamvis enim, hanc uocem pro proverbio, sive adagio, a profanis usurpari etiam, largiamur lubentes, ut eodem ARISTOTELI, lib. IX, de moribus, cap. IV, p. 128, E, Tom. II, inquit, κατὰ τὴν παροιμίαν γαρ οὐν ἔστιν εἰδῆσαι ἀδήλους, περὶ τοὺς λεγομένους ἀλλὰ σύναλλασσα. Nam, ut in proverbiū est, fieri nequit, ut mutuo homines sese cognoscant prius, quam salēm, i. e. salis modium, consumperint. Quid si igitur παροιμία sunt metaphoricae locutiones, sive similitudines et imagines, quibus res cum em-phasi adumbrari solent, uid. idem significatus Io. X, 6, nemo certe non uidet, hunc uocis significatum esse huius loci, prout tum rerum imagines et si-militudines, uid. paulo ante earum formulae adductae, ac metaphoricae lo-cutiones, quibus hanc valedictoriā suam orationem expressit Sospitator, pro hac ueritate loquuntur, tum quid, hac ratione, textus nullius iure accusari poterit obscuritatis, ut Pontificiū criminantur, quia similitudines restit adhi-bitae in se orationem non faciunt obscuram, sed grauem, emphaticam, et suauem. Verum obicitur, ex confessione Apostolorum constare tamen, fuisse eam omnino obscuram, quandoquidem confessi sunt, se nescire, quid loquatur, quando Io. XVI, 18, dicebat, παῦλον, et non uidebitis me, ceter. sic Io. XIV, 4, s. Thomas, omnium nomine, dixit, nescimus, quo uadis? et u. 22, Iudas ait, quid est, quod te nobis manifestatus es, et non mundo? et responde-tur, uitium, quod Discipuli noa intellexerint Dominum, non latuisse in ser-mone Domini, sed in Discipulorum intellectu, qui tum infertia, tum praesi-judicata opinione de Messiae regno mundano, repletus erat, arque his uitiiis impediabantur, ut ne sermones quidem propriissimis simplicibusque uer-bis

bis conceptos intelligerent, uid. *Luc. IX, 44, 45, XIII, 31, - 34.* Ut vero absconum esset, si ideo aliquis eos locos, clarissimis verbis expressos, obscuros dicere uellet, quia Discipuli non intellexerunt, sic aequo iniustum est, orationem Domini valedictoriam, metaphoris et allegoriis conditam, ideo, quia Discipuli eam non intellexerunt, dicere obscuram. In causam uero si inquisueris, cur Dominus παρόντας adhibuerit, respondemus, id ideo factum uideri, ut tardios Discipulos, meticulosos, et nimis carnales, his imaginibus excitaret ad inquirendum, intelligendumque ea, quae proponebat, quandoquidem ita, quae propriissimis verbis proposuerat, neglexerant hactenus, *Matth. XX, 18, 19, XXVI, 2, seqq. coll. Luc. IX, 31, 44, 45.* Id quod ut factum uidemus, *Io. XIV, 5, seqq. XVI, 18, 19,* sic et Dominus eos instruxit simplicissimis verbis, ut ipsum intelligerent non tantum, sed et fidei suae ederent confessionem, de quibus infra ad n. 29 et 30. Absit igitur, ut Scripturam S. obscuritatis crimen lacessamus, et verbis Domini abutamur, *Haec in similitudinibus hactenus locutus sum uobis,* et quidem eo fine, ut uos, qui, quando παρόντα locutus sum, me non intellexistis, nec, intempesto metu perculsi, me interrogastis, *Luc. IX, 44, 45, Io. XVI, 5,* ad interrogandum impellam, et occasionem uos instituendi nanciscar, sed, cum nunc me semel iterumque interrogastis, eoque ipso effecisti, ut uos instituerem, *tempus uenit,* per enallagen Praefensis pro Praeterito, uid. *Vindic. p. 252, seqq. i. e. adest, siue, si libuerit, addatur locutio, καὶ νῦν ἐλήλυθεν,* sicut infra, n. 32, ἐρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐλήλυθιν, locutus est Dominus, quando non amplius, postquam scopum obtinui, in similitudinibus loquar, sed aperte, sermone proprio et simplici, sine imaginibus, opponitur enim h. l. formula dicendi in παρόντα sermoni figurato, de Patre, tum qua eius essentiam et personam, tum quoad eius uoluntatem circa opus redemtionis, qua non tantum ipsum misserat, ut illud perficeret, sed et post exantatos labores potestatem omnem ei dedit in coelo et in terra, exaltans ipsum ad dexteram suae maiestatis, *Matth. XXII, 19, 20, Marc. XVI, 19, Phil. II, 9, seqq.* et quae sunt reliqua regni coelestis mysteria, annunciatu uobis, tum αὐτοποστάτως, post resurrectionem, ubi de regno DEI per quadraginta dies cum ipsis locutus est, *Aet. I, 3,* quanquam imparasentiarum huius promissionis initium iam faciebat, quando expressis verbis asseruit, quid intellexerit per abitum ad Patrem, nimurum, quod ex mundo abitus est, ceterum, uid. n. 28, 29, 30, et quibus multa cognoscere poterant, prout cognoverunt etiam ac fassi sunt, n. 29, 30, et quando, cap. XVII, ad Patrem preces fundit, tum per Spiritum S. promissum illum Paracletum, qui, in festo Pentecostes super ipsos effusus, *Aet. II, 1, seqq.* eos omnia aperte docuit, et in omni ueritate duxit,

Io. XIV, 16, XVI, 13. Quae si coniungantur, quemadmodum coniungendi sunt, annunciationis genera, omnis afferatur dissensio, quae interpres dialexerunt, quando alii cum CHRYSSOTOMO hanc annunciationis promissionem ad tempus resurrectionis referunt, Homil. 78, in Iob. scribente, Tempus erit, cum omnia aperte intelligetis. Hoc est resurrectionis tempus, tunc palam et aperte de Patre meo annunciaro uobis, alii uero cum CYRILLO, ad illud tempus verba Christi respicere, auant, quo Spiritus S. super Apostolos effusus iis annunciauit omnia, lib XI, cap 8, in Iob. inquiete, *Quod autem tempus hoc sit, ipse aperte non dixit.* Non autem putamus, aut illud forsitan significari, in quo Spiritum suum accepimus, alii denique cum eodem CYRILLO et GREGORIO M. lib XXX, Moral. cap 8 et 22, ad futurum secundum refe- rent, sic enim pergit ille, l. c. aut futurum illum diem post significari putamus, quando huius mundi figura transibit, quando gloriam DEI aperte conspiciemus, et scientiam eius absolute habebimus, quando propheta omnis euauabitur, et omnis cognitio cessabit, quos autem AVGUSTINVS, qui in eadem aliquando sententia fuit, uid. eius lib. I de Trinit. c. 19, recte confitat, *Traict. 102, in Iob. scribens, Possem dicere, per hanc, de qua loquitur, horam, futurum oportere seculum intelligi, ubi uidebimus palam, quod Paulus dicit, facie ad faciem, -- Sed istum sensum uidetur impediti, quod sequitur.* Illo die in nomine meo petetis. In futuro enim seculo, cum peruenierimus ad regnum, ubi similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, sicut est, quid peti- turi sumus, quando satiaribus in bonis desiderium nostrum? Petatio namque aliquius est indigentiae, quae ibi nulla erit, ubi haec satietas erit.

EV ένσιν τῇ ἡμέρᾳ -- περὶ ὑμῶν. In illo die, i.e. illo tempore, uid. Vindio, p. 58, seqq. quando tum αὐτοπροσώπως uobis ea, quae de Patre meoque regno, tum per Spiritum S. annunciaui, uid. ad uersum anteced. notata, et quae ad u. 13 et 14 Euang. Cantate sunt dicta, in nomine meo, qui nunc non amplius in statu exinanitionis uersabor, sed, quia humanam naturam, ad dexteram maiestatis divinae ero exaltatus, petetis uera fide, quae mea satisfacio- ne, quam ego mediator pro genere humano praestiti uicarie et perfecte, 1 Tim. II, 5, 6, 1 Io. II, 2, innitetur. Haec enim fides, scribente AVGUSTINO, fundit orationem, et oratio fusa impetrat fidei firmitatem. Plura uid. supra ad u. 23 et 24 huius Euang. Sensus igitur est, interprete b. GERHARDO, l. c. p. 1582, scribente, quando peracto redemitiois opere ex mortuis resurrexero, uobisque apparuero, tum demum re ipsa intelligetis, me non esse terrenum Regem, sed DEI ac hominum mediatorem, meque passione et morte mea perfectam sa- tisfactionem pro uestris et totius mundi peccatis praestitisse, ac Patri coelesti uos reconciliasse, me parasse uobis ad Patrem coelestem adiutum, ut in uera fide nomi-

nominis mei ipsum inuocare ac exauditionem certo sperare posseis. Haec fiducia in precibus plurimum in uobis augebitur, quando uidebitis me in coelum ascendere, ac in hac ascensione sacrarium coeleste ingredi, ut appaream in conspectu DEI pro uobis, Hebr. IX, 24, ut sedens ad dexteram DEI interpellam pro uobis, Rom. II, 34, et ui meriti ac satisfactionis meae pro uobis praefitiae impetrem uobis omnia, quae per preces in nomine meo factas expeditis. Itemque, quando Spiritus S. uisibiliter in die Pentecostes super uos effusus de gratia Patris coelestis uos confirmabit, et ad preces uos impellat, ita recte orare docebit, Rom. II, 26, cum sit Spiritus gracie et precum, Zach XII, 10. Constat enim ex historia Actorum, post acceptum Spiritum S. Apostolos in precibus fuisse ardenteres, cum ante passionem, ut ad intelligendum diuina mysteria, ita quoque ad orandum, fuerint tardiores, et in precibus frigidiores, Matth. XXVI, 40, ceterum. Haec omnia Christus complectitur, quando dicit, In illo dia in nomine meo petetis, nec petetis solum, sed et consecuturi estis, quae petetis, ut uobis promisi supra, u. 23. Quare, vid. Vindic. p. 166, quia tum temporis, quando Spiritum S. habebitis Paracletum, et huius ope in nomine meo orabitis, recte et saluifice petetis, non dico, i. e. non promitto, uobis, quod ego hoc modo, sicut haecenus, qua officium meum Propheticum, et ubi nescitis, quid petitis, Marc. X, 38, nec Spiritum S. haberis Paracletum, facio, Luc. XXII, 32, Io. XVII, 9, seqq. orabo amplius Patrem, de quo uid. supra ad u. 23, pro περὶ προσεύπη, ut Matb. XXVI, 28, Marc. XIV, 24, Io. XVII, 9, et Io. II, 2,) uobis, ut uos sibi demandatos habeat, et in fide farto testosque seruer, sicut feci, et mox faciam, Io. XVII, 9, seqq. Quidcirea, licet Dominus hic profiteatur, se non amplius intercessorum esse pro Discipulis, quatenus Propheticum munere fungatur, tamen non dicit, id se, qua officium sacerdotale, Rom. II, 34, et Io. II, 2, non fakturum esse, multominus a negatione actus officii Prophetici ad negationem altius sacerdotalis ualebit consequentia. Quia illud enim non amplius orar, quia desit, sed alius ille, quem misit, Paracletus, orat, Io. XIV, 16, XV, 26, Rom. II, 26, qua hoc uero orat, quia durat, Hebr. VII, 21, 24, 25. Quae loci nostri uexatissimi explicatio, ut accurate cum scopo Christi, contextu, et analogia fidei congruit, nec intercessioni Christi, qua, ad dexteram DEI sedens, pro nobis interpellat, nim facit, sic, eandem unice ueram et genuinam esse, assueramus. Idecirco ad suos Auditores remittimus tredecim illas explanationes, quas recensuit, et, qua maximam partem, confutauit b. GERHARDVS, l. c. P. 1583, seqq. conf. et contra Grotium b. CALOVIVS in Bibl. Ill, ad h. l. nec non decem illas, quas addidit et confutauit Celeb. FRIDERICVS VLRICVS WALTERVS in Dissert. de sensu orationis Servatoris nostri interrogantis, Io. XVI, 26, Καὶ οὐ λέγω ὑμῖν; u. τ. λ. B 3 Vnd

Vnd sage ich euch nicht, daß ich den Vater für euch bitten werde? ut et hanc ipsam WALTERI hypothesin, qua §. XXII, p. 52, verba Domini contra omnium codicum auctoritatem et Veteris Ecclesiae testimonium, interrogative capit, eamque variis argumentis pro utili tueri conatur, §. XIII, seqq. p. 52-74, in qua cum inquirendi tempus et locus hic non sit, duobus saltim ostendemus, cur haec hypothesis non videatur admittenda, quorum primum est, quod nullus codex textum interrogative efficeret, et quamvis ille, p. 80, excipiat, scribens, Nullius commatis obiectio de interpunctione est, qua, antiquissimos carere codices, vel tyrones Philologiae norunt, tamen sententia non satis deliberata haec scriptisse videatur. Nam, eis libentes damus, in codicibus antiquissimis, qui literis maiusculis olim exarati fuere, interpunctionem non observari, in iis tamen, qui seculi noni, decimi, et sequentium sunt, obseruari, testis est BERNARDVS MONTAVCON, in Palaearographia Graeca, lib. I, c. IV, p. 32. Cum igitur nullus codex, in quo interpunctio et literae minusculae obseruantur, interrogationem agnoscat, (a quibus si discedere uelles, probandum esset, Veteres, sive Graecos, sive Latinos, illis codicibus coactaneos, hisce uero antiquiores, interrogative locum nostrum legisse,) neque nos agnoscere possumus, neque ab antiquitus recepta interpunctione recedere licet. Si enim nobis licet textum pro lubitu interpongere ex ratione a WALTERO adducta, facile et brevi Scriptora S. peruerteretur in locis bene multis, quorum unicum produco locum exempli causa. Locus nimis, Röm. IX, 5, expresse de diuinitate Christi restator, si interpunctio cedidum retinetur, sin uero eorum interpunctionem cum WALTERO reieceris, et cum Eniedino Sociniano hanc, (quam tamen nec ipsi Sociniani pro uera agnoscunt, quia est contra interpunctionem codicium,) substitueris, Εξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα. Οὐ ἦν ἐπὶ πάντων δεῖς ἐνοχόντος εἰς τοὺς αἰῶνας, nonne hoc oraculum euerteritur. Quod enim tibi licet, id et aliis licere, necesse est. Quare, modo tam uolenter, tamque periculoso textui S. consolere non licet, in primis cum uera interpretandi ratio adsit, quam supra iam dedimus. Alterum est, quod versus sequens, qui rationem reddit, cur non opus sit intercessione Don ini, non satis accurate cohaereret cum antecedente, si interrogative uertatur, ut unusquisque facile intelligit, qui paulo altius rem expenderet.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

I Tandem ueniet tempus, ut ea fidei momenta, quae in hac uita nobis paroimiae uidentur, et nobis quasi per speculum representantur, in altera uita coram uisuri simus, quando Dominum a facie ad faciem uidebimus, 1 Cor. XIII, 12, 2 Cor. III, 18, 1 Io. III, 2.

II Tem-

- II** Tempori auditorumque captui est inferiendum, aliis enim lac est praebendum, aliis cibus, *i Cor. III, 1, 2, Hebr. V, 12, seqq.* aliis aperte, aliis in paroimiis, uerba ueritatis sunt proponenda.
- III** Scriptura S. quando obscura tibi videatur, obscuritatis causam in Scriptura ne quaeras, caue, sed, in te ipso quaerendam esse, memento, *Io. XVI, 12, Hebr. V, 11, 2 Petr. III, 16.*
- IV** En efficaciam meriti Christi, quo, quaecunque uolunt, petere possunt credentes a DEO, cum sine illo ne quidem scirent, quid et quomodo orare deceat, *Rom. IX, 26.* Ne ergo tibi, sed Christo eiusque Spiritui, attribue, quod recte petere possis, *Rom. IX, 26, 27, i Cor. IV, 7.*
- V** Etiam si Sospitator modo uisibili pro suis orare desierit, *Marc. XVI, 19,* non tamen inuisibili desiit, ad dexteram DEI sedens, pro ipsis intercedere, *Rom. IX, 34, i Io. II, 1.*
- VI** Si recte petere uelis, non pro tuo ingenio, sed in nomine Christi, pete, uid, ad uersus antec. προσοικ. I, seqq.

VERSUS 27 ET 28

27 Αὐτὸς γαρ ὁ Πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφίληκατε, καὶ πεπιστεύκατε, ὅτι ἔγώ πατέω τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον.
28 Εὖλος παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ εἰλήνυθα εἰς τὸν κόσμον πάλιν αὐθίμη τὸν κόσμον, καὶ πορένομαι πρὸς τὸν Πατέρα.

Ipse enim Pater diligit nos, quia nos me amatis, et credidistis, quod ego a DEO exiuerim. Extui a Patre, et ueni in mundum, rursus relinquo mundum, et uado ad Patrem.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Aυτὸς γαρ ὁ Πατὴρ — ἐξῆλθον. Ipse enim, rationem addit Dominus, cur specialis illa intercessio apud Patrem, quam haec tenus pro suis Discipulis interposuerat, uid, ad uersum anteced. opus non sit amplius, quia ipse, quae uox est h. l. emphatica, spontaneitatem inferens, Graecorum more, ut recte obseruauit b. GERHARDVS, l. c. p. 1585, scribens, Autὸς apud Graecos significat ultroneum, nam mala αὐθίματα dicuntur, quae non accepta alicui obueniunt, unde Erasmus uertit αὐθίματος, Nonnus αὐτοκίλευσος. Sic Graeci dicunt, αὐτὸς τοῦτο ποιῶ, sponte mea hoc facio, τί με σπένδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνεις, apud Homerum, cur ultro currentem instigas, ut sensus sit, sponte sua et ultro paratus ad exaudiendam Pater, fine ulteriori, uel denuo repetita, intercessione specialissima propter me, in quo nos elegit, Ep. I, 3, seqq. et ob satisfactionem meam semel praestitam, Hebr.

IX, 25,

IX, 25, 26, *diligit nos*, amore non generali, quo mandum in universum amar, *Io. III, 16*, *Rom. V, 8*, *i. Io. IV, 9, 10*, sed speciali, quo credentes, merito Christi sibi reconciliatos, adeoque amicos et filios, gratiouse complebitur, iisque, propter fidem et amorem in Christum, bene cupit, *Io. XIV, 23*, *XVII, 20, 23*, *seqq.* *Rom. V, 10, 11*, *II X, 17, 39*, *Eph I, 3*, *seqq.* *i. Io. IV, 16*, quemadmodum idem docet Sospiator ipse, quando pergit, *quia nos me amatiss, et credidistis*, quod ego a Patre exiuerim. Vbi contra Pontificios nonnullos, qui ex hoc loco probare contendant, quod nostra dilectio sit causa meritoria divinae dilectionis, vid. *Salmero et Toletus apud b. GER-*
HARDVM, l. c. p. 1586, notetur, quod naturalis horum uerborum series
Si haec, quia nos credidistis, quod ego a Patre exiuerim, et me amatiss, amor
enim erga DEV M est fructus et effectus fidei, *Gal. V, 6*, *i. Tim. I, 5*, sine
qua DEV M nec amare, nec ei placere, possumus, *Hebr. XI, 6*, adeoque,
amorem fidem sequi, necesse est, quod aurem, h. l. Dominus amorem pra-
miserit fidei, doctrinæ ergo fecit, ut ab amore DEI immediate ad amo-
rem credentium faceret transitum, et ex amore, fidei effectu et signo, de-
monstraret ipsorum fidem, quae huic amorem generat. Sic s. *PAVLVS*,
i. Tim. I, 5, a fidei effectibus ad ipsam fidem progreditur, quando scribit,
Τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας εἰν αὐτῶν ἐν παθαράς ποιεῖται, καὶ συνε-
δόσεως ἀγαθῆς, καὶ τίσεως αὐτοποιεῖται. Utinique enim fides, tam cor-
dis purificationem, *Act. XV, 9*, quam bonam conscientiam, *Act. XXIV, 14, 16*,
Rom. V, 2, *i. Tim. I, 19*, *Tit. I, 15*, *Hebr. IX, 14, X, 22*, efficit, e quibus iam dem
verus amor oritur et producitur. Quare, *2* uocula ὅτι, *h. l. uoci πεφλήνατε*
praemissa cum sit, non uim habet causandi, sed declarandi, et συλλογισμῶς
est accipienda, siue, non causam notat consequentis, seu rei, sed consequentiae, seu
argumenti. Quam distinctionem ut eleganter exposuit b. GLASSIVS, Philol. S.
p. m. 117, scribens, Causa consequentis, uel rei, notat id, quod dat esse rei. Causa con-
sequentiæ tantum notat medium terminum, prepter quem in conclusione praedica-
tum de subiecto enunciatur. *Quandy igitur effectus fit argumentum, uel medius*
terminus ad ostendendam causam, ibi coniunctio causalis apponitur effectui, et
iam si is sua cause causa nec sit, nec esse possit. Sic in communi sermone di-
citur, Sol ortus est, quia dies est. Itē uituit, quia respirat. Homo est, quia
ridet. Vbi coniunctio causalis causam quidem notat, sed non rei, (siquidem nec
dies orti solis, nec respiratio uitae, nec risus hominis, causa est,) sed argumen-
ti, seu conclusio, quia dies de orto sole, respiratio de uita, risus de homine, tan-
quam effectus de sua causa restatur. Sic et in sacris prostant exempla, u. g.
Io. II X, 44, *Diabolus in ueritate non stetit, quia, ὅτι, in eo non ueritas*. Vbi unus-
quisque dabit, enunciatum posterius non esse prioris causam, sed et se-
quens,

quens, nam ex eo, quod diabolus in veritate non stetit, evenit, quod
veritas in ipso non sit amplius, item, 1 Io. III, 14, Scimus, quod translatis sumus
de morte in uitam, i. e. quod renati sumus, quia, eti, diligimus fratres, ubi
dilectio fraterna non est causa regenerationis nostra, sed effectus, ex quo,
nos renatos esse, cognoscitur, nec non, Matth. XVI, 2, ubi synonymum
 $\gamma\alpha\beta$ appetat, Facto uestere dicitis, serenum erit, πνεύματι $\gamma\alpha\beta$, quia rubet
coelum, rubore autem diei sereni non est causa, sed signum. Eodem mo-
do, in loco nostro, uocula ὁρ̄i causam inserti argumenti, sive conclusionis,
quia is, qui uere diligit, uere credit, et consequenter, eundem a DEO
amari, cognoscitur, non uero causam rei, ac si dilectio nostra esset causa
dilectionis DEI erga nos, quandoquidem, 3) contradicit Spiritus S. qui
Rom. V, 8, 10, 1 Io. IV, 10 et 19, docet, DEVM nos prius dilexisse, quam nos
eam. Ad quos locos respiciens AVGUSTINVS, Tract. 102 in Ioh. egregie
scripsit, inquiens, Ideo amat ille, quia nos amamus? an potius, quia ille amat,
ideo nos amamus? Ex epistola sua idem Euangelista respondeat. Nos diligi-
mus, inquit, quia prior ipse dilexit nos. Hinc ergo factum est, ut diligere-
mus, quia dilecti sumus. Prorsus donum DEI est diligere DEVM, quoniam
ipse, ut diligenter, dedit, qui non dilectus dilexit. Displacentes amati sumus,
ut esset in nobis, unde placeremus. Non enim amaremus Filium, nisi amare-
mus et Patrem. Amat nos Pater, quia nos amamus Filium, cum a Patre et
Filio acceperimus, ut et Patrem amemus et Filium. Diffundit enim caritatem
in cordibus nostris amborum Spiritus, per quem Spiritum et Patrem amamus
et Filium, et quem Spiritum cum Patre amamus et Filio. Amorem itaque no-
strum pium, quo colimus DEVM, fecit DEVS, et uidit, quia bonum est,
ideo quippe amavit ipse, quod fecit. Sed in nobis non faceret, quod amaret,
nisi, antequam id faceret, nos amaret. 4) Dominum amorem Discipulorum
non causam constitueret uoluisse meritioriam dilectionis DEI, ex ipso con-
textu, et scopo loquentis, pater, quandoquidem iste non Apostolorum me-
rita, quae erant nulla, sed gratuum Patris favorem, qui erat ineffabilis
prorsus, celebrare voluit. Plura, quae contra Toletum disputat b. GERHARDVS,
et ex ipsis Pontificiis adduxit testimonia, pro hac ueritate nostra, vid. l. c. p. 1586,
seq. Ex his igitur intelligimus satis, quae nostrae dilectionis sit ratio, et quod
ea sit fidei fructus, prout et ipse Sospitator hunc dilectionis fontem in-
dicat, pergens, et credidisset, non historice, et qua assensum tantum, hoc
enim nihil profuisset ipsis, Iac. II, 19, sed et fiducialiter, Matth. XVI, 16,
Io. VI, 68, 69, XVII, 3, 8, 25, quanquam saepe erant ὀλυγόποι, Matth. IX, 26,
XIV, 31, XVI, 8, ideoque a Domino erigendi ac confortandi, prout
et ipsis hoc agnoscebant, Luc. XVII, 5, et optimus Saluator pro ipsis in-
tercep-

tercedebat, ne finaliter fide exciderent, *Luc. XXII, 32*, sed poenitentes in gratiam redirent lapsi, *Math. XXVI, 75*, *Io. XX, 28*, et crederent posthaec, sicut ante, ut Dominus testatur, et creditis, quod ibi ego, Filius DEI, *Math. XVI, 16*, *Io. VI, 69*, incarnatus, *Gal. IV, 4*, exiuerim a DEO missus, *Io. IX, 42*, *XVII, 18*, *Gal. IV, 4*, ut, carne assumto, *Io. I, 14*, *i Tim. III, 16*, essem Christus, siue Messias, *Math. XVI, 16*, *Io. VI, 69*, qui populum suum salvaturus esset, *Math. I, 21*, *Luc. XXIV, 21*, reliqua, quae uid. ad uers. seq.

Εξῆλθον πάρα τοῦ Πατέρος -- πρὸς τὸν Πατέρα. Exiui, generis humani redimendi causa missus, uid. paulo ante, a Patre, i.e. a DEO, ut *Io. IX, 42*, legitur, adeoque sumitur vox Pater, h. l. ὁσιωδεῖς, non υποστατοῦς, nec uidetur probabile nobis, quod hic locus exponentius sit cum **HILARIO, ATHANASIO**, aliisque, apud b. **GERHARDVM p. 1588**, de aeterna generatione Filii DEI, a Patre facta, (quamvis labentes demus b. **GERHARDO**, quod illa praesupponenda sit,) quo sensu vox exitus accipitur, *Mich. V, 2*, in primis, cum ipse Dominus, quid intellectum voluerit, per τὸ ἐξέρχεσθαι, iam exposuerit, quando *Io. IX, 42*, dicit, Εγὼ γαρ εἰς τὸν θεόν εξῆλθον καὶ ἦν· εὑδὲ γαρ ἀπέμαυρον ἐληνύθα, αλλ' ἐκεῖνός με ἀπέτιεις, ego enim a DEO exiui et ueni, neque enim a memet ipso ueni, sed ille me misit, et cap. *XVII, 8*, οὐκ ἔγνωσαν ἀληθῶς, ὅτι πάρα τοῦ εξῆλθον, καὶ ἐπίστευταν, ὅτι σύ με ἀπέτιεις, et nouerunt reuera, quod a te exiuerim, et credidere, quod tu me misisti. Quare relinquitur, quod τὸ exire sit missio- nis consequens, qui enim mittitur, ille exire, quo sensu **AVGVSTINVS, lib. II, de Trinit. c. 5**, recte id accepit, scribens, A Patre exire et uenire in mundum, b. e. mitti, ubi tamen notandum, quod exire et uenire in mundum ideo h. l. συναναπομνᾶς non permittanda sint, ut nonnulli inter ueteres fecerunt, cum uenire in mundum statum exinanitionis, siue terminum ad quem, exire uero a Patre terminum, siue statum maiestatis diuinæ, a quo, denotet, prout id ipsum quoque ex uerbis Christi in sequentibus patet, quando phrasι, ἐληνύθα εἰς τὸν πάτερον, phrasι πάλιν δίφημι τὸν πόστον· oppenit, locutioni autem exire a Patre locutionem uado ad Patrem. Hanc uero statum maiestatis diuinæ denotare, illam exinanitionis, adeoque a se innicem differrē, pater. Atque haec ultima phrasι, uado ad Patrem, phrasι, exiui a Patre, opposita simus nos docet, quod haec de aeterna generatione accipi non possit, sed de statu, ex quo enim statu exiuit, ad eundem rediit, θεάνθρωπος. Ut igitur stricte loquendo per exitum a Patre, i. e. DEO, aeterna genatio Filii DEI intelligenda non est, sic nec, eo praesentiam animae Christi denotari, damus, prout **Origenes**, uid. **HVETIVS in Origen. p. 51, seqq. et, inter recentiores, Henricus Morus, Iosephus Glanvili,** Eduar.

Eduardus Fowler, aliqui statuere, vid. b. ZACH. GRAPPII, *Theol. recens controverfa*, Tom. III, Qu. I, p. 3, seq. quia hec dogma est ἀγέραφον, deinde ἀτύπαφον, cum enim Scriptura S. doceat, Λόγον in tempore factum esse hominem, et ex Maria matre humanam assumisse naturam, sequitur, quod anima eius non ante incarnationis tempus extiterit, quia hac ratione nasci homo ex Maria non potuisse, cum hominis partes essentiales sunt anima et corpus, sed hoc potius sequeretur absurdum, quod aliquando semihomo conceptus, et ex Maria non tota humana essentia, sed semihumana, progenita, esset. Vid. plura apud b. BEBELIVM in *Exercitat. aduersus praexistentialiam animar.* c. 3, p. 126, seq. b. GRAPIVM, I. e. qui ad foderi exceptiones simul respondit, p. 8, seq. ex instituto autem eum confuravit GVL. SCHEFFLOCK in *Testimoniis Scripturae S. pro diuinitate Salvatoris nostri*, item Io. Marcius, qui et Roberto Flaminio, in *Christologia* Foulellum descendenti, sese opposuit, vid. eius *Sylloge Dissertat. ad Non. Test. Exercitat.* 74. Denique, quando Dominus sit, exiui a Patre, et neni in mundum, notetur, quod hoc non per localem descendum, ut ex Anthropomorphitarum principiis sicut, nec per assumam carnem coelestem, ut Valentini, Apollinaristae, aliqui errarunt, sicut factum, sed mediante conceptione carnis in utero de essentia matris, Luc. I, 31, Io. I, 14, 1 Tim III, 16. Deinde, quod haec phrasēs exinanitionis statū denotent, prout obseruarunt refle, AVGUSTINVS, lib. I. de Trinit. c. 10, inquiens, *Quid est a Patre exiui, nisi quod non in forma ea, qua Patri aequalis sum, sed aliter, id est, assumta in creatura minor apparui, quae erat forma serui;* Phil. II, 7, PROSPER lib. Sentent. 328, in uebis, *Reliquit Christus Patrem, sive exiuit a Patre, quia, cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem D E O, sed semetipsum exinanuit, formam serui accipiens.* Hoc est enim, reliquit Patrem, non quia deseruit, et recessit a Patre, sed quia non in ea forma apparuit hominibus, quia aequalis est Patri. Tertio, quod exinanitio, non quia diuinam naturam, quae immutabilis est, Iao. I, 17, et secundum quam incarnatus essentialiter in D E O erat, Io. III, 13, XIV, 10, 17, sed quia humanam naturam, quae, in hypostasi τοῦ Λόγου assumta, et donis infinitis donata, iis ad tempus sese abdicauerat, Phil. II, 7. Quartio, quod τὸ exiui, ut paulo ante monuimus, terminum a quo, et Filii DEI προσήπειρον ante temporalem nativitatem, aduersus Socinianos, denotet, locutio contra, neni in mundum, terminum ad quem, i. e. ipsum statutum exinanitionis, quem, mediante incarnatione et nativitate, ingressus est, sicut hoc ex phrasē opposita, rursum relinquendo mundum, de qua mox dicendum erit, apparet, non uero significat, ut GROTIUS vult ad h. l. ostendit

me hominibus sermone et operibus, siquidem, Christum non de suo officio Prophe-
tico tantum hic loqui, sed de toto statu exinanitionis, et rebus, quas in hoc gessit,
omnibus, siue ad Propheticum et Regium, siue ad Sacerdotiale, spectent officium,
partim ostendimus, partim ex dicendis elucescat. Quare, ut recte hanc GRO-
TI interpretationem, utpote Socinianis fauentem, rejecit b. CALOVIVS,
in Biblio III. ad h. l. sic Grotio feliciter locutiones sacras exposuit b. GER-
HARDVS, l. c. p. 1590, b. scribens, *Proprie ac principaliter, per τὸ exire*
a Patre et uenire in mundum, hoc intelligitur, quod Filius DEI, a Patre suo
coelesti in hunc mundum ad peragendum opus redēctionis missus, ueram na-
turam humanam assūmerit, inque ea sese humiliauerit Patri suo, usque ad
mōrem obediens factus, quam expositionem non solum oppositio inter exire a
Patre et uenire ad Patrem, atque inter uenire in mundum et relinquere
mundum, sed etiam locus Apōstolicus, Phil. II, 6, seqq. euidenter comprobant. Ut
enī termini, qua exinanitionem Christi, erant a quo exitus a Patre, siue maiesta-
tis diuinæ abdicatio, et ad quem, aduentus in mundum, sic termini exaltationis
Christi, a quo erat exitus e mundo, siue statu exinanitionis, et ad quem abiit ad
Patrem, siue ad dexteram maiestatis diuinæ, Marc. XVI, 19, Rom. II X, 34,
Eph. I, 20, seqq. Hebr. I, 3, prout ipse hoc docet Dominus, rursus, i. e. uice
uersa, contra, (Vocula παλὼν enim non iterationem, ac si Dominus iam alio
tempore ex mundo egressus esset, et nunc secunda exiret uice, sed opposi-
tionem, infert, ut Matth. IV, 7, et Io. II, 8,) quando opus nunc, quod mihi,
ut perficerem, dedisti, consummavi, Io. XVII, 4, relinquo, seposita forma
seruili, mundum, i. e. statum exinanitionis, quem, generis humani redi-
mendi ergo, Gal. IV, 4, sum ingressus, atque praesentiam meam uisibilem
subtraheretur in coelum ascendam, Marc. XVI, 19, Act. I, 9, siue, ut ipse Do-
minus loquitur, et uado ad Patrem, quo glorioſissimus exaltationis status
significatur, qui exinanitionis statum exceptit, Luc. XXIX, 26, Eph. IV, 20, seqq. Phil.
II, 7, seqq. Hebr. II, 7, seqq. Quamuis uero, hac ratione, Christus exalta-
tus, suo ad Patrem abiit, praesentiam suam uisibilem subtraxerit, non tamen
inuisibilem, uti PISCATOR, ad h. l. infert male, scribens, *Christus per suum ascensum in coelos uere ex hoc mundo abiit, uidelicet corpore suo.*
Quare errant, qui putant, *corpus Christi substantialiter latere in pane sacrae*
Coenae, longe magis autem, qui opinantur, corpus Christi esse ubique, quando-
quidem consequentia est uitiosa, quia uisibiliter abiit, nec localiter praesens
est, ergo inuisibiliter et maiestatice praesens non est. Nonne, si ualeret haec
ratiocinandi ratio, argumentari licet, DEVIS uisibiliter et localiter praes-
ens non est, ergo nec inuisibiliter. Deinde contrarium enunciavit ipse Do-
minus, Matth. XXIX, 20, et confirmauit S. Paulus, Eph. IV, 10. E quibus
infe-

inferimus locis. Quicunque nobiscum est omni tempore, et omnia in omnibus compleat, illum, necesse est, praesentem esse. Atqui Ἰεζαύθρων, qua humanam naturam, in ὑποσάρεις τοῦ Δόγου subsistentem, (de hac enim loquitur tum ipse Dominus, tum S. Paulus,) nobiscum est omni tempore, et omnia in omnibus compleat. Ergo eundem praesentem esse, necesse est. Tertio cum euictum dedimus, quod locutiones, mundum relinquere et ad Patrem uadere, nihil denorent aliud, quam ex statu exinanitionis egredi et in statum exaltationis ingredi, qua ratione Piscator concludi potuit, ergo Christus non amplius est praesens, cum hic ipse contrarium potius ex hac statuum mutatione inferat, Matth. XXIX, 20, XXIX, 18, 20. Quarto, cur dubitemus de corporis glorificati, attributis maiestatis diuinae donati, ὑποσάρεις τοῦ Δόγου uniti, in eaque subsistentis, praesentia, Matth. XXIX, 18, 20, Io. I, 14, Col. II, 9, cum corpora habemus physica, quae, extra illum locum, in quo sunt, sua praesentia tot tantaque locorum spatia et regiones implent, licet ea uisibiliter praesentia non sint. Expendas uenti exemplum, quod ipse Saluator Nicodemo, Piscatoris more, ratiocinanti, opposuit Io. III, 4, 8, expendas uirtutem unguenti Nardi, Io. XII, 3, qua extra illum locum, in quo effundebatur, totam sua praesentia repleuit domum. Quae nisi in dies nos edoceret experientia, forte et de his dubitaret ratio nostra, negaretque, quod illa corpora in pluribus locis, et quidem extra illa loca, in quibus illa inclusa uidentur, esse possiat. Quare captiuemus rationem nostram, Christo et mysteriis obloquentem, et credamus, quod uera sint, quae ille, ipsa Veritas, Io. XIV, 6, enunciavit, licet, ipsum modum nos ignorare, nec eum comprehendere posse, cum Davide fatendum sit nobis, Ps. CXXXIX, 6. Quinto errauit uehemenier Piscator ipse, quando Nostrates erroris accusat, et putat, ac si statuerent, corpus Christi latere in pane S. Coenae substantia-
liter, quod ipsorum stylo localitatem simul infert, qui tamen, interprete b. GERHARDO, ad h. l. 1591, a. nec delitescentiam quandam corpustculi sub pane, nec expansuam quandam ubiquitatem, sed ueram, realem, et substantialem, mysticam tamen, corporis et sanguinis Christi in Coena praesentiam, et gloriosum Christi secundum utramque Naturam regimen, praeante Scriptura S. statuant, Matth. XXVI, 26, seqq. XXIX, 20, 1 Cor. X, 16, 17, XI, 24, 27, seqq. Eph. IV, 10, Col. II, 9, reliqua. Conf. quae ad n. 26, seqq. Euang. II. Domin. Palmar. sunt notata.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

I Disce, quod DEVS te amet non ob naturalia tua opera, Ies. LXIV, 6, Tit. III, 5, 1 Io. IV, 10, sed quia Iesum amas, conf. προσοίκη seq. in quo

- nos elegit, nobisque benedixit, *Eph. I, 3, 4.* Caue ergo, ne de tua virtute glorieris, *Ier. IX, 23, 24,* *2 Cor. X, 17, 18.*
- II** Si quis Iesum uere amat, eum et in Iesum credere, supponitur, *Gal. V, 6,* *Hebr. XI, 6,* et si quis in Iesum uere credit, eum et Iesum amare necesse est, *i Cor. XVI, 22,* *i Io. III, 23,* coll. *IV, 20.* Noli ergo tibi persuadere, te credere in Iesum, qui neque ipsum, neque eius membra, amas, *i Io. IV, 20, 21.*
- III** Ad Iesum si uis peruenire, eum a DEO, tua causa, exiisse, in hunc mundum uenisse, et ad eundem rediisse, credas, *Io. I, 14,* *VII, 38,* *XVII, 3,* *XX, 17,* *Rom. II, 9,* *i Tim. I, 15,* *III, 16.*
- IV** Memento, quod, uti Christus in hunc mundum uenit, quo voluntatem Patris et opus redemptionis perficeret, nec eum prius deseruit, quam utrumque executus est, sic etiam tuum sit, ut ea, quae voluntatis DEI sunt, non ea, quae mundi sunt, *i Io. II, 15,* in hoc mundo perficias, *Io. VI, 29, 40.* Bene ergo tibi, si illa, antequam discedis, executus fueris, *2 Tim. IV, 7, 8,* *Apoc. XIV, 13.*
- V** Tene memoria, quod, licet Iesus mundum deseruerit quoad uisibilem conuersationem, eum tamen, quoad invisibilem praesentiam, non deseruerit, *Mattb. XXIX, 20.* Ideo enim ad Patrem abiit, ut omnia in omnibus completeret ad dextram DEI sedens, *Eph IV, 10,* *Hebr. I, 3.* Hinc Iesum te nosse crede, et solatium cape, *Pf. XCI, 15,* *Ief. XLIII, 2,* *2 Tim. II, 19.*
- VI** En Iesu ad Patrem praeiuit, ut tibi uiam ad Patrem perueniendi pararet, ergo sequere eum, sine hoc enim non peruenies ad Patrem, *Io. XIV, 6.*

VERVS 29 ET 30

- 29** Δέγουσιν ἀυτῷ οἱ μαθῆται ἀυτοῦ. Dicunt ipsi Discipuli eius. Ecce, nunc
λέπει, τὸν παρόντα λαλεῖς, καὶ παρο- libere loqueris, et similitudinem nullam dicis. Nunc sciimus, quod no-
μέλαν οὐδεμίαν λέγεις. Νῦν οἰδαρεν, nisi omnia, et non opus habes, ut
ὅτι ὅδας πάντας καὶ οὐ χρέιαν ἔχεις, aliquis te interroget. Propterea
ἴνως τὸ σε ἐρωτᾷς. Εν τούτῳ πιστεύουμεν
ὅτι ἀπὸ Θεοῦ εἶνας εἶσαις.
- 30** Δέγουσιν ἀυτῷ — οὐδεμίαν λέγεις. Dicunt, i. e. respondent, ipsi Domi-
no, animum nunc sermone Domini erigentes, Discipuli eius, de uroque Do-
mini statu recte instituti, et, quid abitu ad Patrem, quem anteā non in-
tellexerant, *Io. XVI, 16, 17,* intellectum uoluerit, nunc intelligentes. Ecce, quo par-
tim

Ε Η Η Γ Η Σ Ι C

- Δέγουσιν ἀυτῷ — οὐδεμίαν λέγεις. Dicunt, i. e. respondent, ipsi Domi-
no, animum nunc sermone Domini erigentes, Discipuli eius, de uroque Do-
mini statu recte instituti, et, quid abitu ad Patrem, quem anteā non in-
tellexerant, *Io. XVI, 16, 17,* intellectum uoluerit, nunc intelligentes. Ecce, quo par-
tim

tim ignorantiae suae metamorphosin, partim veritatis a Domino assertae impletionem indicare volunt, fatendum est nobis, quod nunc, qui pan-
lo ante allegorice et per similitudines loquebaris, *aperte*, *υπόλογος*, sive do-
mesticis, locutionibus utens, ut ARISTOTELES orationem propriam,
quae figurata non est, appellat, *loqueris*, ut mentem tuam recte percipere possumus, et similitudinem, in praesentia rerum, de qua uoce uid. sa-
pra ad n. 25, nullam, id quod ipse sermo Domini et contextus confirmat,
in quo nulla amplius occurrit similitudo, *dicas*, sive *dicere incipis*, si ad uo-
cem, *annunciabo* n. 25, respicere libuerit tibi, uid. quae ibidem dicta sunt.
Hac quidem ratione si verba Discipulorum exponantur, prout exponi de-
bent, primo non uidentur Discipuli, quoad hunc versum, accusandi, ut
plerique faciunt interpres, ac si nimium sibi arrogaret, et, se se omnem
iamiam rem cognoscere atque intelligere perfecte, putassen, cum tamen,
imperfectionem cognitionis posthaec etiam undique in ipsorum intellectu
refedisse, palam sit, in primis qua regnum Messiae, quod illi mundanum
fore purabant, nec tum hac in parte sapientiores erant, ut colligere est ex
Io. XIIIX, 10, 11, 36, et, post resurrectionem Domini, ex Luc. XXIV, 21, Act.
I, 6, et quae sunt alia, quandoquidem, ut haec omnia damus faciles, sic
illos, non tam de sua sapientia et perfecta cogitatione, hic gloriatos esse,
quam quod simpliciter ac confidenter professos esse veritatem, uiderur, Do-
minum vera dixisse, et initium eorum, quae promisisset modo, facere nunc,
cum mysterium de abitu ad Patrem uerbis exposuerit domesticis ac pro-
pris, ut, quid sibi uelit hic abitus, iam, non quidem perfecte, quod nec ad-
ditum legitur, nec sine ratione inferendum est, sed aliqualiter, intelligen-
t, dum addiderit, mundum se derelictum esse, quem, humanæ salutis
ergo, ad redēptionis opus perficiendum, ingressus esset. Secundo Maldonatum
reiciimus, qui ad h. l. sentit, Apostolos non de uerbis, sed de factis Christi
loqui, scribens, Non significant Apostoli, cum clarius loqui, quam antea,
sed factis eum perspicue declarasse, quae uerbis obscurius dixerat, cum cognos-
cisset cogitationes eorum, uolentium interrogare, ut sit sensus. An clarius pot-
er loqui apertiusque ostendere, te Filium DEI esse, quam intimas animorum
nostrorum cogitationes declarando? Non est tibi opus loqui uerbis, loqueris fa-
ctis, quia sermo Apostolorum, παρόντα λαλεῖς, καὶ παρουσιῶν διδειπνάς λέ-
γεις, qui uerba denotat, non facta, quo sensu et Sospitator haec uerba
aceperat, n. 25, ad quem respiciunt Discipuli, aperte testatur, istos non
de factis Christi, sed de uerbis eius, quod illa figurata amplius non fiat, lo-
cutoris esse.

Νῦν οἶδαμεν -- ἀπὸ Θεοῦ ἡξῆλθες, Nunc scimus, de integro, siue
 denuo cognovimus, ex novo hoc καρδιογνωσίας tuae specimen, quod impre-
 sentiarum eoram edidisti, cogitationes nostras in lucem protrahens, Io. XVI,
 19, (nullum enim dubium est, quin iam ante de Domini καρδιογνωσίᾳ fue-
 rent convicti, si locos conferamus, Matth. IX, 2, 4, XVI, 7, 8, Luc. IX, 47 seqq.
 Io. I, 48, seqq. II, 24, 25, ceter.) quād tu, quem dudum pro Filio DEI agnouimus,
 Matth. XVI, 16, Io. VI, 69, nūstī omnia, ne cogitationibus quidem humanis exceptis.
 Et quanquam Dominus, in sua exinanitionis existens, non plenarie, nec omni
 tempore, qua humanam naturam, usus est attributo omniscientiae, Marc.
 XIII, 32, tamen id per communicationem, vii unionis personalis, possidebar,
 quo aequo respectu, ac ratione diuinae naturae, παντογνωσία recte de Do-
 mino suo præcabant Apostoli, eoque sensu uox, πάντα, uniuersaliter accipi
 potest, licet hinc, qui, eam ad uersum 19 saltem referendam, nec ad alia exten-
 dendam, esse, statuunt, in primis cum addiderint Discipuli, nec opus habebat, ut ali-
 quis te roget, quibus respondemus, quod haec uerba παντογνωσία Domini non
 restringant, sed eius speciem quandam, quae erat καρδιογνωσία, indicent, ut
 adeo, secundum canonem Logisticum, posito genere, posuerent determinatam spe-
 ciem. Et, quodsi Domini καρδιογνωσία falem prehiri voluissent, cerre non
 opus habuissent, ut uerba, πάντα οἶδας, praemississent, quin imo male prae-
 mississent, cum a particulari ad uniuersale non ualeat consequentia. Quare,
 uniuersaliter esse capienda uerba, πάντα οἶδας, ei non tantum καρδιογνω-
 σία, cuius impreseentiarum ediderat specimen, (quanquam et haec sit at-
 tributum soli DEO proprium, i Reg. IX, 39, Ps. VII, 10, Ier. XVII, 9, 10,)
 sed, ipsam παντογνωσίαe inferre, pater, in primis, cum non tantum tot futu-
 ra contingentia, quae non ad καρδιογνωσία, sed παντογνωσία spectabant,
 uid. u. g. Matth. XXIII, 34, seqq. XXIV, 2, seqq. Luc. XXI, 20, seqq. 32, ceter.
 ipsis dudum annunciauerat, sed in hac oratione ualedictoria etiam, quae fu-
 tura erant, praedixerat, u. g. de lapsu Petri, de tristitia in glādium conuer-
 tenda, de fuga Discipulorum, de eorum sive finali, reliqua. Ergo, harum
 forte aliarumque rerum memores, παντογνωσία ponunt genus, deinceps
 uero speciem determinatam καρδιογνωσία, de qua impreseentiarum denuo
 convicti erant, inquietus, et non opus habebat, ut aliquis te roget. Quaesierunt ali-
 quando nonnulli, cur Apostoli non dixerint, ut diceadum uidetur, non opus est
 tibi, ut quenquam interroges, sed, non opus est tibi, ut aliquis te roget, et re-
 spondetur, cum non Dominus Discipulos, sed Discipuli Dominum interro-
 gari essent, Dominus uero, ipsorum mentem cognoscens, et, quae inter-
 rogaturi essent, uidens ipsis praeueniret, recte ad hoc momentum Discipuli
 respicientes dixerunt, non opus est tibi, ut aliquis te interroget, quia ea, quae
 interro-

interrogatur est aliquis, iam cognoscis $\chi\alpha\epsilon\delta\iota\gamma\nu\omega\varsigma\eta\varsigma$, ipsique, antequam interrogat, potes exponere.. Idcirco non tantum conuenientior est Discipulorum locutio praesenti scopo, quam illa, sed et maximi omnino est ponderis, prout hoc AVGUSTINVS, ipsamque una rationem, eur hac locutione usi sunt Discipuli, belle afferat, Tract. 103 in Iob. scribens, *Propterea ei, qui nouerat omnia, opus non erat, ut eum quis interroget, quoniam nos, quando interrogamur ab eis, qui volunt aliquid a nobis scire, ex ipsis interrogationibus eorum cognoscimus, quid uelint discere. Opus est ergo nobis ab iis interrogari, quos docere aliquid uolumus, ut inquisitiones eorum, quibus respondendum est, nouerimus.* Illi autem ne id quidem opus erat, qui omnia nouerat. Nec opus habebat, quod ab eo quisque scire uellet, per eius interrogationem cognoscere, quia, priusquam interrogaretur, interrogatoris nouerat uoluntatem. Hac, igitur, παντογνωστας ac $\chi\alpha\epsilon\delta\iota\gamma\nu\omega\varsigma\eta\varsigma$ confessione edita, ut Domini diuinitatem adstruebat Discipuli, cum nulla deur creatura, quae corda scrutari possit, multo minus παντογνωστας de se praedicare, quia solius DEI haec sunt praedicata, uid. 2 Chron. VI, 30, Ps. CXXXIX, 1, seqq. ita etiam, quod in hunc Dominum, qui sit in assumta carne uerus DEVS, Io. I, 14, 1 Tim. III, 16, et παντοκαρδιογνωσης, credant, fidei suae confessionem edunt, inquietantes, *Propterea, qui hac tua καθιδιοπαντογνωστα deuino de tua diuinitate sumus conuicti, et de nouo confirmati, credimus im- praesentiarum firmiter et fiducialiter, Hebr. XI, 1, quemadmodum dudum credidimus, et hanc fidem nostram coram professi sumus, Matth. XVI, 16, Io. VI, 69, quod tu, DEI Filius, Matth. XVI, 16, Io. VI, 69, a DEO extixisti, missus; Io. III, 16, 17, V, 24, VI, 39, 40, IX, 18, 26, 29, 42, XII, 44, XIII, 20, in hunc mundum, ut eses Messias et Redemptor Israelis, Luc. XXIV, 21, Io. VI, 69, conf. supra ad n. 28 annotata.* Quibus praesuppositis, notemus primo, quod non tunc demum coepierunt Discipuli credere in Dominum, quod sit θεός ρωπός, ut CHRYSOSTOMVS, Homil. 79, in Iob. statuit, et ex praesenti πιστούσι collegit. Reclamant enim ipsorum confessiones fidei, Matth. XVI, 16, Io. VI, 69, quare Apostolorum mens ita, ut paulo ante factum, est exponenda, et prout s. CYRILLVS exposuit, lib. XI in Iob. c. 11, scribens, *Quoniam, inquit, praevenisti nobis, antequam interrogauerimus, propterera credimus, quia ex DEO extixisti. Corda enim hominum noscere solius DEI esse rectissime creditur.* Quoniam igitur omnia nosti, quomodo perspicuum non est, ex DEO, qui omnia scit, te processisse? Fidem ergo Discipulorum hoc quoque auxit signo. Dicunt autem nunc, non quod credere coepirint, quando haec audientes, omnia scire Dominum, perspexerunt, sed quia tunc ampliores fidei radices iacere coepirint. Secundo, quod non possimus concedere

AVGUSTINO, teste b. GERHARDO, pag. 1594, b. statuenti. Apostolos non intellexisse uerba Christi, quibus dixerat, se a Patre exiuisse et in mundum uenisse, sed putasse, se illud scire, quod reuera ignorabant, quia haec ratione ipsorum fides non fuisset uera. Deinde, cum Dominus ipsorum fidem aequae, quae a cognitione θεανθρώπου proficisciebatur, comprobarit, Io. XVII, 31, ac, ipsorum cognouisse ἀληθῶς, se exiisse a DEO et credidisse, quod a DEO missus sit, Io. XVII, 8, testatus sit, conf. u. 25, 26, quis uellet Discipulorum hanc cognitionis et fidei confessionem in dubium uocare. Licet enim propugnare nolimus, illos mysteriorum diuinorum, sigillatimque huius articuli fidei, habuisse notitiam acroamaticam aut cognitionem perfectam, tamen, catecheticam eos habuisse, negare poterit nemo, nisi uerba Domini, modo allegata, negauerit. Quod ut impium esset, sic uix impietatis criminis liberari poterunt, qui, tertio, hanc fidei professionem, eodem GERHARDO laudato teste, i. c. nudam opinionem ac praejunctionem esse, non autem ueram fidem, criminantur incaute, haut commiscentes, quod haec ratione testimonia Domini in dubium uocent refellantque.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

I Confiteamur DEO, eique hanc gloriam reddamus, quod ignorantia nostra uerbo DEI ablata sit, et ex insipientibus sapientes simus facti, Ps. XIX, 8, 9, CXIX, 104, 130, contra uero caueamus, ne nobis vindicemus ea, quae DEO debemus, 1 Cor. IV, 7.

II Veritatem non tantum agnoscere, sed etiam eam aperte in gloriam DEI profiteri, debemus, Ps. XL, 11, LXXXIX, 2, in primis, quando in rebus fidei uel errauimus, uel eas ignorauimus, Io. XVI, 17, 18.

III Παντογνωσία cum sit attributum DEI, Ps. CXXXIX, 1, seqq. Ies. LXV, 24, Ier. XXIII, 24, agnoscas hinc Christi diuinitatem, Io. II, 24, 25, XXI, 17, Hebr. IV, 13.

IV Scire et nosse Christum τῷ credere in Christum antecedit, Rom. X, 14, 17. Nemo igitur sibi persuadeat, se in Christum credere, qui non prius agnouerit, quis sit Christus.

ΤΩΙ ΘΕΩΙ ΜΟΝΩΙ Η ΔΟΞΑ

94 A 7379

ULB Halle
002 376 911




3

5b

WPA

F
Nov 1983





Q. D. B. V
3

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
DE
P R E C I B V S
I N N O M I N E I E S V

AD LOCVM
IOANN. XVI, 23 — 30,
ILLVSTRANDVM

P R A E S I D E

CHRISTIANO FRIDER. BAVERO

SS. THEOL. D. ET PROF. ORD. ALVMNORVM
REGIO-ELECTORAL. EPHORO

PRO LICENTIA
SYMMOS IN THEOLOGIA CONSEQUENDI
HONORES

AD DIEM XIV OCTOBR. CLOCC XLIX

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET
AVCTOR

CHRISTIANVS SIGISM. GEORGIVS

PHIOL. HACTENVS PROF. PVBL. ORDIN. PHILOS.
ASSESSOR ET H. T. DECANVS NVNC VERO
DESIGNATVS SS. THEOL. PROF. ORDIN.
ET ALVMNOR. EPHORVS

VVITTEBERGAE
IMPRESSIT IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICHIVS